Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66672-p0001-3

5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66672-p0002-9

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

EXurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant; ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie DEI. Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu DEI, & delectentur in lætitia, *Pſal. 68, 1. 2. 3.* *Votum hoc Davidicum in Davidis filio* Jeſu Chriſto Dei & Mariæ Filio Salvatore mundi *hodiernâ luce adimpletum, qua reſurrectionis Dominicæ memoriam devotè recolimus. Cecidit granum frumenti in terram, mortuum fuit, Joh. 12, 24. ſed in mortis vinculis non permanſit. Judæi perfidi & perverſi Jeſum benigniſſimum ligaverunt, ligatum gentibus tradiderunt, gentes eum flagellaverunt, crucifixerunt, & morte turpiſſimâ occiderunt. Hunc Jeſum, quem terra, pontus, æthera capere nequeunt, modo arcto clauſerunt ſepulcro. Sed votum devotum omnium Sanctorum:* Exurgat DEUS; *facto implevit die tertio, ut lætiſſima vox ſonet in toto orbe terrarum:* Surrexit Chriſtus hodiè, Halleluja, Halleluja. *Impoſſibile enim fuit eum teneri à morte, Act. 2, 4. qui habebat claves mortis & inferni, Apoc. 1, 18. Itaq; glorioſè reſurrexit, qui morte turpiſſimâ erat peremptus.*

Nec ſurrexit tantùm, ſed vicit Leo de tribu Juda, *Apoc. 5, 5. Vicit* Judæorum *blaſphemias in patibulo,* fortem armatum *alligavit in atrio, & de ipſo* mortis imperio *triumphavit. Ubi enim ſunt opprobria tua Judæe? Ubi eſt captivitas tua Satana? Ubi eſt mors victoria tua? Confuſus eſt calumniator, ligatus eſt prædator, raptor ſpoliatus eſt. Novum genus potentiæ, morte mortem vincere, ad quod victorioſa mors ipſa obſtupeſcit. Prævidit hoc David, ideò dicit:* Exurgat Deus & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. *Ecce in reſurrectione Domini diſſipati ſunt inimici ejus; non ſolùm* viſibiles, *milites puta ſepulcri cuſtodes cum clero Hieroſolymitano mendaciſſimo, ſed etiam* inviſibiles *infernalis carceris cuſtodes truculentiſſimi. Quando enim in profundum, in quo ſemper inter tenebras & umbram mortis, cum fletibus & cum ſtridoribus toti humano generi ſedendum fuiſſet, deſcendit, ut tenebrarum & mortis principem colligaret, Legionibusq; illius perturbatis captivos educeret, è veſtigio tartarei Spiritus territi, & ut lepidiſſimè rem Hipponenſis depinxit & ſculpſit Theologus, & ex eodem alii reſculpunt doctiſſimi, inter umbroſa ſilentia murmurantes inquirere cœperunt, & dicere:* Quis eſt ille tàm fortis, tàm terribilis, tàm præclarus, & niveo colore coruſcus? Nunquam talem noſter excepit Tartarus, nunquam in noſtram cavernam iſte talem evomit mundus, orbis ille, qui nobis ſubditus fuit, ſemper noſtris uſibus mortis tributa perſolvit, nunquam talia inferis munia deſtinavit, invaſor iſte, non debitor, exactor eſt, non peccator, judicem videmus, non ſupplicem, venit jubere, non ſuccumbere, eripere, non manere: ubi jam janitores noſtri dormierunt, cum iſte bellator clauſtra vexavit? Hic ſi reus eſſet; tàm potens non eſſet: Quis igitur eſt iſte, qui ſic intrepidus fines ingreditur noſtros? & non ſolùm ſupplicia non veretur noſtra? ſed & alios de vinculis exolvere aggreditur noſtris? Nunquam hîc ita ſuperbi erant mortui, nec aliquando ſic potuerunt læti eſſe captivi. O Princeps noſter, cum tu Chriſtum ſuſpendis in ligno, ignoras, quanta damna ſuſtineas in inferno? In quo nihil mali cognoveras, quare eum ad noſtram patriam perducebas? Liberum & innocentem hunc adduxiſti, & tot noxios perdidiſti. *Sic igitur, Salvator noſter, in reſurrectione ſuâ Satanam & mortem ad propriam usq; domum proſequitur, legiones ejus diſſipat, carceris cuſtodes fugat, caput Satanæ conterit, mortem vincit, captivam ducit captivitatem, & in ipſo Satanæ regno de illis glorioſiſſimè triumphat. Solus hoc præſtitit, & facilè id præſtare potuit, quia* Dominator Dominantium, & magnus eſt Deus noſter. Quid facilius, quàm ut fumus deficiat? Quid celeriùs, quàm ut cera à facie ignis fluat? *Sic perierunt à facie Chriſti redivivi omnes inimici ejus. Quid ergo metuimus Satanam? vel mortem? vel infernum? fumus ſunt iis, qui in Chriſto ſunt, ad cujus conſpectum ut cera liqueſcunt & diffluunt.*

Atq; hinc ſumma in reſurrectione Chriſti piorum oritur lætitia, de qua ſuaviter David loquitur: Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitiâ. *Eſt enim* vera illa vitis, *Johan. 15, 1. dulcis Jeſus, quæ apparuit in nativitate, præciſa in circumciſione, circumfoſſa in inſidiis, perfoſſa clavis, ligata vinculis multiplicibus, fronduit in paſſione virtutibus, in reſurrectione fructificavit, & botrum dulcedinis & lætitiæ attulit. Hinc juſti epulantur, & tantùm non lætitiâ diffluunt. Quis autem magnitudinem illius dulcedinis & lætitiæ explicare poterit? Ponat aliquis tamen, ſi quis poteſt, in corde ſuo* magnitudinem ineffabilem illius beatiſſimæ & triſtiſſimæ paſſionis: *videat quanto deſperationis mœrore illa dilectorum paſſi Jeſu corda percuſſa fuerunt, videat illarum fidelium mulierum lamentationes, quæ dulciſſimum Jeſum ad paſſionis locum euntem, cum ſibi crucem bajularet, & cum dulciſſimam animam expiraret, non deſeruerunt. Videat præcipuè illam talia ſpectantem glorioſam virginem, matrem domini, cujus animam acutus doloris gladius pertranſivit. Videat totius mundi machinam fabricatori ſuo compatientem tetrâ caligine involutam. Videat inquam hæc, & tantæ turbationi* ſerenitatem tertiæ diei, & inſperatam lætitiam lætiſſimæ reſurrectionis *annectat, recogitetq; propenſiùs cum quantâ exultatione ſuſceperint Dominum à mortuis reſurgentem, quem cum ingenti triſtitiâ viderant morientem. Videat cum quantâ jucunditate recompenſaverit in reſurrectione diſcipulis ſuis triſtitiam illam, quam in ſanctiſſimâ extremæ comeſtionis ſuæ cœnâ conceperant, quando eis dixit: Non bibam à modo de hac generatione vitis, donec bibam illam vobiſcum novam. Ecce jam nunc reſurrexit in gloria vitis vera: comeditq; & bibit cum eisdem diſcipulis cum gaudio maximo procul dubio, ſeq; dubitantibus aliquibus videndum pariter & tangendum exhibuit. Nec putet quiſquam, quòd reſurrexerit ad gaudium ſolis diſcipulis, imò & reſurrexit nobis, & toti mundo, beatificans omnes, qui, quamvis non videant, credunt tamen ipſum paſſum fuiſſe propter delicta noſtra, & reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram, quibus docemur, quoniam, ſi ſocii fuerimus paſſionis, erimus & reſurrectionis: ut non dubitemus mortalia noſtra corpora reſurrectionis gloriâ ſublimanda, cum caput noſtrum morte turpiſſimâ condemnatum reſurrexiſſe credamus. Nam ſicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

Sicut ergo vitis fructus comeditur & bibitur; *maſticatur enim uva, bibitur verò vinum, quod in uvâ continetur, in utraq; major tamen in bibitione, jucunditas: Sed hæc ſine illa eſſe nequit, quam præ ſe requirit: Ita vitis noſtra Jeſus cum jucunditate maſticatur in paſſionis conſideratione & imitatione, bibitur in reſurrectionis glorioſiſſimâ apprehenſione, & à morte peccati reſurrectione. Adhæreat ergo anima noſtra Chriſto, Redemptori noſtro, ut epulari poſſit cum juſtis: inclinet ſe ad paſſionis glorioſa inſignia, & reſurrectionis glorioſa trophæa, in quibus ſalutem noſtram operatus eſt. Spineum ipſius diadema, rubentes ipſius ſanguineos clavos, ſacro lateri immerſam lanceam, ejus vulnera, ſanguinem, mortem, ſepulturam, illius glorioſam & victorioſam reſurrectionem, & glorificationem glorificemus: Adoremus Chriſtum ſupplices, ut in his ſit odor nobis vitæ, & vivifico odore ſpiritum noſtrum à peccati morte reſuſcitet, ejus virtute ab aſtutiis Satanæ cuſtodiat, ut jugum mandatorum ipſius ſuave fiat, & onus crucis humeris animæ noſtræ leve ſit, & tandem per crucem & mortem ad æternam lucem reſurgamus, & delectemur in juſtitia.*

Audi hæc Jeſu dulciſſime, qui pro nobis & pati & reſurgere voluiſti, impone humeris noſtris diviniſſimam illam crucem, *confige illi manus noſtras & pedes noſtros, & totos paſſioni tuæ conforma, da ut contineamus ab operibus carnis, quæ tu odiſti, ut crucifigamus concupiſcentias & deſideria carnis,* imprime ſpineam coronam *dando mentibus noſtris, & ſalutaris pœnitentiæ compunctionem, & alienæ miſeriæ compaſſionem, nec non ſtimulum zeli æmulantis, quod rectum eſt coram te: configura nos* vivificæ tuæ morti, *ut moriamur ſecundum carnem, & vivamus ſecundum Spiritum juſtitiæ:* vulnera corda noſtra *gladio vivo & efficaci verbi tui, & produc ex iis loco & ſanguinis & aquæ amorem tui Domine & fratrum tuorum: Et* mundâ Sindone *primæ ſtolæ ſpiritum noſtrum involve, in qua requieſcamus egredientes, & ingredientes in locum tabernaculi admirabilis & abſcondas nos, donec pertranſeat furor tuus, qui exarſit ſuper Germaniam patriam dulciſſimam mole peccatorum non agnitorum tantùm non oppreſſam. Et tandem* die tertio per diem laboris, per diem mortis, manè prima Sabbathi perpetuò inter filios tuos nos reſuſcita, *ut in carne noſtrâ videamus claritatem tuam, & adimpleamur lætitiâ vultûs tui. O Salvator noſter & Deus noſter, veniat, veniat oramus tempus, ut, quod nunc credimus, oculis tandem revelatis aſpiciamus, quod ſperamus nunc, & à longè ſalutamus, apprehendamus: quod pro viribus noſtris deſideramus, ulnis animæ amplectamur, & deoſculemur & in lætitiæ tuæ abyſſum toti abſorbeamur. O quam bonus, quàm ſuavis es Domine Jeſu animæ quærenti te. Quia reſurrectio es & vita.* Jeſu redemtor perditorum, Salvator redemtorum, ſpes exulum, fortitudo laborantium, animæ lacrymoſæ ſolatium, pectoris anxii refrigerium, vita morientium, & corona triumphantium miſerere noſtri. *O Sancte & deliciis pleniſſime Jeſu, qui es Deus Deorum in Sion, benedicunt te omnia, quæ in cœlo ſunt ſurſum, & quæ in terra deorſum, benedicimus & nos præeunte verbis Claræ vallenſi Abbate:*

Jeſu dulcis memoria
Dans vera cordi gaudia:
Sed ſuper mel & omnia
Ejus dulcis præſentia.

Tu mentis delectatio,
Amoris conſummatio,
Tu mea gloriatio,
Jeſu mundi ſalvatio.

Mi dilecte revertere,
Conſors paternæ dexteræ:
Hoſtem viciſti proſperè,
Jam cœli regno fruere.

Sequar te quoquo ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cum meum cor abſtuleris
Jeſu laus noſtri generis.

Cœli cives occurrite,
Portas veſtras attollite:
Triumphatori dicite,
Ave Jeſu rex inclyte.

Rex virtutum, rex gloriæ,
Rex inſignis victoriæ,
Jeſu largitor veniæ,
Honor cœleſtis patriæ.

Tu fons miſericordiæ,
Tu veræ lumen patriæ,
Pelle nubem triſtitiæ,
Dans nobis lucem gloriæ.

Te cœli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat:
Jeſus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.

Jeſus in pace imperat,
Quæ omnem ſenſum ſuperat:
Hanc mea mens deſiderat,
Et ea frui poterat.

Jeſus ad patrem rediit,
Cœleſte regnum ſubiit:
Cor meum à me tranſiit:
Poſt Jeſum ſimul abiit:

Quem proſequamur laudibus,
Votis, hymnis & precibus:
Ut nos donet cœleſtibus
Secum perfrui ſedibus,
Amen.

Hortamur quoq; omnes Juriſdictionem Academicam agnoſcentes, ut in honorem glorioſi noſtri Redemtoris, Hora XII. meridiei in æde Paulinâ conveniant, & ea, quæ de lætiſſimâ ejus Reſurrectione, glorioſiſſimo triumpho, & ſaluberrimo eorum fructu noſtra ad novam vitam reſurrectione dicentur, attentè audiant, & ſuam gratitudinem ac devotionem piâ modeſtiâ teſtentur, ita futurum eſt, ut & hic & in altero ſeculo epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia, Ita fiat, Amen. PP. *Feriis Paſchalibus, Anno à nato Chriſto M. DC. XXVIII.*

LIPSIÆ, Excudebat Fridericus Lanckiſch.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66672-p0004-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66672-p0005-5

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

EXurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant; ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie DEI. Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu DEI, & delectentur in lætitia, *Pſal. 68, 1. 2. 3.* *Votum hoc Davidicum in Davidis filio* Jeſu Chriſto Dei & Mariæ Filio Salvatore mundi *hodiernâ luce adimpletum, qua reſurrectionis Dominicæ memoriam devotè recolimus. Cecidit granum frumenti in terram, mortuum fuit, Joh. 12, 24. ſed in mortis vinculis non permanſit. Judæi perfidi & perverſi Jeſum benigniſſimum ligaverunt, ligatum gentibus tradiderunt, gentes eum flagellaverunt, crucifixerunt, & morte turpiſſimâ occiderunt. Hunc Jeſum, quem terra, pontus, æthera capere nequeunt, modo arcto clauſerunt ſepulcro. Sed votum devotum omnium Sanctorum :* Exurgat DEUS; *facto implevit die tertio, ut lætiſſima vox ſonet in toto orbe terrarum :* Surrexit Chriſtus hodiè, Halleluja, Halleluja. *Impoſſibile enim fuit eum teneri à morte, Act. 2, 4. qui habebat claves mortis & inferni, Apoc. 1, 18. Itaq; glorioſè reſurrexit, qui morte turpiſſimâ erat peremptus.*

Nec ſurrexit tantùm, ſed vicit Leo de tribu Juda, *Apoc. 5, 5. Vicit* Judæorum *blaſphemias in patibulo*, fortem armatum *alligavit in atrio, & de ipſo* mortis imperio *triumphavit. Ubi enim ſunt opprobria tua Judæe? Ubi eſt captivitas tua Satana? Ubi eſt mors victoria tua? Confuſus eſt calumniator, ligatus eſt prædator, raptor ſpoliatus eſt. Novum genus potentiæ, morte mortem vincere, ad quod victorioſa mors ipſa obſtupeſcit. Prævidit hoc David, ideò dicit:* Exurgat Deus & diſſipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. *Ecce in reſurrectione Domini diſſipati ſunt inimici ejus; non ſolùm* viſibiles, *milites puta ſepulcri cuſtodes cum clero Hieroſolymitano mendaciſſimo, ſed etiam* inviſibiles *infernalis carceris cuſtodes truculentiſſimi. Quando enim in profundum, in quo ſemper inter tenebras & umbram mortis, cum fletibus & cum ſtridoribus toti humano generi ſedendum fuiſſet, deſcendit, ut tenebrarum & mortis principem colligaret, Legionibusq; illius perturbatis captivos educeret, è veſtigio tartarei Spiritus territi, & ut lepidiſſimè rem Hipponenſis depinxit & ſculpſit Theologus, & ex eodem alii reſculpunt doctiſſimi, inter umbroſa ſilentia murmurantes inquirere cœperunt, & dicere :* Quis eſt ille tàm fortis, tàm terribilis, tàm præclarus, & nive [illegible] ndus, orbis ille, qui nobis ſubditu [illegible] or, exactor eſt, non peccator, jud [illegible] ierunt, cum iſte bellator clauſtra [illegible] on ſolùm ſupplicia non veretur r [illegible] potuerunt læti eſſe captivi. O I [illegible] cognoveras, quare cum ad noſtr [illegible] *er, in reſurrectione ſuâ Satanam & mo* [illegible] *ptivam ducit captivitatem, & in ip* [illegible] ntium, & magnus eſt Deus noſter, [illegible] *edivivi omnes inimici ejus. Quide* [illegible] *unt & diffluunt.*

Atq; [illegible] n conſpectu Dei, & delectentur i [illegible] *ſſa in inſidiis, perfoſſa clavis, ligata vinculis multiplicibus, fronduit in paſſione virtutibus, in reſurrectione fructificavit, & botrum dulcedinis & lætitiæ attulit. Hinc juſti epulantur, & tantùm non lætitiâ diffluunt. Quis autem magnitudinem illius dulcedinis & lætitiæ explicare poterit? Ponat aliquis tamen, ſi quis poteſt, in corde ſuo* magnitudinem ineffabilem illius beatiſſimæ & triſtiſſimæ paſſionis : *videat quanto deſperationis mœrore illa dilectorum paſſi Jeſu corda percuſſa fuerunt, videat illarum fidelium mulierum lamentationes, quæ dulciſſimum Jeſum ad paſſionis locum euntem, cum ſibi crucem bajularet, & cum dulciſſimam animam expiraret, non deſeruerunt. Videat præcipuè illam talia ſpectantem glorioſam virginem, matrem domini, cujus animam acutus doloris gladius pertranſivit. Videat totius mundi machinam fabricatori ſuo compatientem tetrâ caligine involutam. Videat inquam hæc, & tantæ turbationi* ſerenitatem tertiæ diei, & inſperatam lætitiam lætiſſimæ reſurrectionis *annectat, recogitetq; propenſiùs cum quantâ exultatione ſuſceperint Dominum à mortuis reſurgentem, quem cum ingenti triſtitiâ viderant morientem. Videat cum quantâ jucunditate recompenſaverit in reſurrectione diſcipulis ſuis triſtitiam illam, quam in ſanctiſſimâ extremæ comeſtionis ſuæ cœnâ conceperant, quando eis dixit : Non bibam à modo de hac generatione vitis, donec bibam illam vobiſcum novam. Ecce jam nunc reſurrexit in gloria vitis vera: comeditq; & bibit cum eisdem diſcipulis cum gaudio maximo procul dubio, ſeq; dubitantibus aliquibus videndum pariter & tangendum exhibuit. Nec putet quiſquam, quòd reſurrexerit ad gaudium ſolis diſcipulis, imò & reſurrexit nobis, & toti mundo, beatificans omnes, qui, quamvis non videant, credunt tamen ipſum paſſum fuiſſe propter delicta noſtra, & reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram, quibus docemur, quoniam, ſi ſocii fuerimus paſſionis, erimus & reſurrectionis : ut non dubitemus mortalia noſtra corpora reſurrectionis gloriâ ſublimanda, cum caput noſtrum morte turpiſſimâ condemnatum reſurrexiſſe credamus. Nam ſicut in Adam omnes moriuntur*